2) 10

8

Nondum. 4 Ecclesiæ Orthodoxæ, quæ est Mittelburgi in Seelandia salutem, ab unico fonte salutis IESU CHRISTO, Bipontinatus sacri verbi Ministri.

Ducatus Bipontinus ditio Illustrissimi Ducis Friderici Palatini, Patria nostra charissima, hactenus indefessam pauperum exulumque curam habere consuevit. In illâ enim persecutione, quæ ante decennium in Palatinatu grassari cœperat, adeo humaniter excipiebamus, tractabamus, alebamus omnes et singulos, tecta, subsidiaque nostra petentes, ut nemo Ministrorum esset, qui suum stipendium vel æqualiter, vel proportionaliter egentibus distribuere dubitaret. Quid multis? Exiguus iste Ducatus, ut ut per crebras exactiones incursionesque militum vehementer afflictus, ultra integrum quinquennium Archi Palatinorum Pella fuit. O nos felices, si adhuc in dantium, et non accipientium terminis versaremur, dare enim beatius, quam accipere teste Christo, Act. 20. v. 35. Verum, ô quanta tam brevi temporis spatio rerum immutatio! ô quam cadaverosa nunc afflictissimæ nostræ Patriæ facies! Quocunque enim aures vertas, audias vel vociferantes, vel lamentantes: quocunque oculos, videas vel fame tabescentes, vel tumescentes, vel miseras animas trahentes. Vici, oppida ante bene habitata, nunc vacua extant: Incolæ superstites in unam atque alteram urbem confluxerunt, et horum plurimi nullâ cum re sunt; reliqui, quibus aliquid superest, adeo ab infesto et crudeli milite exhauriuntur, ut neque domesticorum, neque peregrinorum pauperum, etiamsi lubentissime vellent, rationem habere possint: quippe, qui ipsi herbarum radicibus atque arborum foliis, plerumque sine pane, sine sale, sine aliae, ad decem et amplius septimanas vescuntur: Canina, equina, felium carnes pro delitiis habentur. Quid? tanta rabies famis non nullos agitat, ut mortuorum hominum cadavera paululum obscœna in cibum postulare fuerint ausi. Filia aliqua suras matris excisas devorasse narratur. Ex binis vicinis mulieribus, de equinis cornibus manus consecantibus, altera occubuit. Prope Bipontium in pago [illegible] Wintzweiler mortuis parentibus, duo restabant duo liberi, frater et soror, hac mortua frater pro cibo usus est. Accidit, ut mendicus, qui id temporis eo advenit, à famelicis occisus et devo=

vetas sit. Exempla talia ferè hîc sunt innumera. In
oppidis nostris non usq; adeò copiosis, trecenti, quadringenti
et plures mendicantes obambulant, et vix micas panis im=
petrant. Superioribus proximè annis, milite Hispano
istic degente, gravissimas nostram Patriam invaserunt cala=
mitates, at nunc longè graviores. Tunc interdum in pagis
licebat esse tutis, nunc minimè: tum agri segetum pleni,
nunc maximam partem in toto Palatinatu jacent inculti:
tunc spes messis, nunc, paucissimis locis exceptis, planè nulla;
Haec est illa dies, haec illa sunt tempora, quibus Deum
nostrum, contemptus verbi sui vindicem experimur acerrimum,
inimicis voracissimum. Dicta calamitas non tantùm
contingit plebeios, verùm etiam nos sacri verbi Praecones, de=
functorumq; orphanos et viduas, exutos omnibus suis bonis,
suorumq; stipendiorum, per temporum injuriam, prorsus
expertes; nos inquam contingit, qui nil tam cupimus, quàm
ut possimus, Dei misericordiâ reservati Ministerio sacro
servire, docendo, instituendo, corrigendo, consolando? At unde
nos, unde nostros sustentemus, vix ac ne vix quidem ha=
bemus. Quid in tanto et vitae nostrae, et aeternae Audi=
torum nostrorum salutis periculo (periclitabuntur enim absq;
omni dubio, ubi nos ab illis discesserimus) consilii? Con=
fugiamus ad Magistratum? At Magistratus, at Principes,
subditis suis ad incitas redactis, non potis sunt iuvare. Con=
fugiamus ad Auditores nostros? at horum pleriq; fame,
gladio, morbis periere, reliqui Codro sunt pauperiores. Con=
fugiamus ad Electoralis Palatinatus Ministros, et copiosi
illius hactenus, ex diversis Provinciis, ad illos transmissi subsidii
participationem rogemus? at nonnullis ex nostris hanc ipsam petentibus
rotundè denegata est. Quid ergò? Ad vos,
Reverendi, Doctissimi, et pietatis, et charitatis exercitiis
undequaq; terrarum Clarissimi Viri; ad vos, inquam, in
Christo Fratres, ad vos in Christo Sorores, cuiuscunq; estis
ordinis, status, conditionis, confugimus, atq; eâ quâ par est,
reverentiâ precamur, rogamus, oramus, nostrûm vos mise=
rescat misericordiae vestrae fontes ad nos derivate; faciles,
benignos et clementes sauciis, vos, Bipontinatus Ministris
praebete, conferte, conferte, quod quantumcunq; libet in

D

nostram sustentationem. Istam nostram petitionem, quae prima est, (hactenus enim ex Bipontinatu nullas in genere eleemosynas neque rogavimus, neque accepimus) iam nostrae vobis cordi futuram minime dubitamus. In gravioribus siquidem, Maiores vestri, Vos quoque, JESU CHRISTI communis nostri Servatoris et Domini, observantes fuistis. Plurimi vestrum, cum quanti fecerint, quam sanctis Eius dictis audientes essent, sanguine suo demonstrarunt. Quare ergo, quod minus est, à tam fidis CHRISTI cultoribus, particulam scilicet rei vestrae non speraremus. Atque eo magis, cum ipse Dominus Salvator adeo sibi placere opera beneficentiae ostenderit, ut vel guttulis aquae, discipulis suis porrectis, gratuitam quidem, at copiosissimam mercedem statuerit. Nos, quod attinet, in precibus nostris, vestrum semper erimus memores, Deum Trinunum orantes, vobis longissime halcyonia largiatur, conservet ab omni malo, propulset quicquid detrimenti Sathanas vobis meditatur, Vos regat, ornet, augeat, et sic benedicat, ut egentibus porro subvenire possitis. Datae Meisenheimii, sede, in Bipontinatu Serenissimi Vlidiae Palatinae, Illustrissimi Ducis et Principis, nuper defuncti, Iohannis Palatini. 12 Iulii, 1636

Fridericus Goeler(us?)
minister Ecclesiae Meysenheimensis et vicinarum
Inspector

Iustus Wolffius pastor Circella, nomine Ministrorum Praefecturae Bipontinae

Ioannes Pantaleon
Candidus Inspector
Lichtenbergensis

Georgius Rothar Pastor
Franckenvillanus, nomine
Ministrorum Archipraefecturae
Neocastellanae

Ad
Ecclesiam Orthodoxam
Mittelburgensem.